

Cato in Originibus, quatuor & triginta ejus gentis numeraverit oppida: sed Cenomanorum Carnorumque non pauca loca in ejus gentis potestatem Venetique nominis appellacionem concesserint: tantundem namque soli Venetia deinde nuncupata est. Quidam regionem ipsam Abdua Padoque fluminibus, lacu Benaco, alpibus atque Hadriatico mari terminavere: Plinius ad ortum finibus Venetiae Aquilejam includit, contra excludit Strabo: tam longe lateque priscomores Venetorum in amoenissima Italiae parte creverant. Sed ipsa locorum magis quam gentis natura antiquum terrae statum sollicitum semper habuit: hinc enim assiduis Liburnorum latrociniis, inde terrificis effferarum gentium crebrisque eruptionibus longiore frui ocio non licebat: quin saepissime accidit, ut quantum publicae eorum privatæque fortunæ, quum aliquid fuit ocii ab externis armis, auctæ viderentur, tantundem subitæ bellorum procellæ miserabili clade deprefserint. Potuisset alioquin gens ipsa fortunatissima videri: quippe quæ pulcherrimam Italiam oram jure belli suam fecisset, factamque incoleret: quæ præterquam quod ad meridiem placidissimo alluitur maris ambitu, sitque ob hoc ipsum ad peregrinas merces excipiendas non inhabilis, amoenissimis irrigatur fluminibus, quibus res maritimæ in mediterranea facile subvehuntur. Lacus præterea, stagna, saltus, nemora, agrorum ubertas, tritici, vini, olei, omniumque frugum præstantia: villæ ad hæc, vici, arces, oppida & situ & mœnibus perspicua, de quibus ut suo quaque loco occurrerint, dicerur. Sed nunc ad ipsos incolas redeo, quibus jam inde ex quo res eorum coalescere cœperunt, rara ab externis armis ocia contigerunt. Longum esset, nec omnino facile, in re tam vetusta longissimam laborum explicare seriem: quanquam ne consilii quidem nostri erat, in priscorum Venetorum rebus diutius morari. Post varios itaque barbarorum incursus, quum assidui bellorum motus, alias super aliud jam inde ab initio usque ad Athilæ tempora, ejus gentis opes sollicitare non desissem, essentque res Venetæ Gothicò tumultu adhuc consternatæ, longe fædior quam ulla ante clades ipsam terram invasit. Hunnorum gens, duce Athi-

*Antique  
Venetia f.  
nes.*